



testatibus contraire non præsumerent, nisi eos sancti Spiritus fortitudo solidasset. Quales namque doctores sanctæ Ecclesiæ ante adventum huius Spiritus fuerint, scimus: & post adventum illius cuius fortitudinis facti sint, conspiciamus.

✠. Isti sunt triumphatores, & amici Dei, qui contemnentes iussa principum, meruerunt præmia æterna: * Modò coronantur, & accipiunt palmam. ✠. Isti sunt qui venerunt ex magna tribulatione, & laverunt stolas suas in sanguine Agni. Modò coronantur. Gloria Patri. Modò coronantur.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Euangelij secundum Joannem.

Lectio vij.

Cap. 15 c

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Hæc mando vobis, ut diligatis invicem. Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

Tract. 87. in Joannem.

IN lectione Evangelica, quæ hanc antecedit, dixerat Dominus: Non vos me elegistis: sed ego elegeri vos, & posui vos, ut eatis, & fructum afferatis; & fructus vester maneat: ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis. Hic autem dicit: Hæc mando vobis, ut diligatis invicem. Ac per hoc intelligere debemus, hunc esse fructum nostrum, de quo ait: Ego vos elegeri, ut eatis, & fructum afferatis: & fructus vester maneat: & quod adiunxit. Ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis. Tunc utique dabit nobis, si diligamus invicem, cum & hoc ipsum ipse dederit nobis, qui nos elegeri non habentes fructum, quia non eum nos elegeramus, & posuit nos ut fructum afferamus, hoc est, invicem diligamus.

✠. Isti sunt qui viventes in carne, plantaverunt Ecclesiam sanguine suo: * Calicem Domini biberunt, & amici Dei facti sunt. ✠. In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Calicem.

Lectio viij.

Charitas ergo est fructus noster, quam definit Apostolus, de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Hac diligimus invicem, hac diligimus Deum: neque enim vera dilectione diligeremus invicem, nisi diligentes Deum. Diligit enim unusquisque proximum suum, tamquam seipsum, si diligit Deum: nam si non diligit

Deum, non diligit seipsum. In his enim duobus præceptis charitatis, tota Lex pendet, & Prophetæ, Hic est fructus noster. De fructu itaque nobis mandans, Hæc mando, inquit, vobis, ut diligatis invicem. Unde & Apostolus Paulus, cum contra opera carnis commendare fructum Spiritus vellet, à capite hoc posuit: Fructus, inquit, Spiritus charitas est: ac deinde cetera, tamquam ex isto capite exorta & religata contexit, quæ sunt, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia, castitas.

✠. Isti sunt viri sancti, quos elegeri Dominus in charitate non ficta, & dedit illis gloriam sempiternam: * Quorum doctrina fulget Ecclesia, ut sole luna. ✠. Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam. Quorum. Gloria Patri. Quorum.

Lectio ix.

Quis autem bene gaudet, qui bonum non diligit unde gaudet? Quis pacem veram, nisi cum illo potest habere, quem veraciter diligit? Quis est longanimis in bono opere perseveranter manendo, nisi fervet diligendo? Quis est benignus, nisi diligit, cui opitulatur? Quis bonus, nisi diligendo efficiatur? Quis salubriter fidelis, nisi ea fide, quæ per dilectionem operatur? Quis utiliter mansuetus, cui non dilectio moderetur? Quis ab eo continet unde turpatur, nisi diligit unde honestatur? Merito itaque magister bonus dilectionem sic sæpè commendat, tamquam sola præcipienda sit, sine qua non possunt prodesse cetera bona, & quæ non potest haberi sine ceteris bonis, quibus homo efficitur bonus.

Te Deum laudamus. 10.

DIE XXXI. OCTOBRIS.

In Vigilia omnium Sanctorum.

Tres Lectiones leguntur de Homilia sancti Ambrosij in Evangelium. Descendens Jesus de monte. de Communi plurimorum Martyrum. xlj.

Responsoria de Feria occurrenti.

In Laudib. dicuntur Preces feriales flexis genibus, ut in Psalterio. 37. Oratio.

Domine Deus noster, multiplica super nos gratiam tuam: & quorum prævenimus gloriosa solèmnia, tribue subsequi in sancta professione lætitiā. Per Dominum nostrum.

FESTA NOVEMBRIS.

Prima die non impedita dicitur Officium Defunctorum. cxviij.

IN